





24  
FACVLTATIS MEDICAE  
IN PERANTIQVA VNIVERSITATE HIERANA  
DECANVS  
JO. HIERONYMVS  
KNIPHOF

ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL.  
FACVLTATIS MEDICAE ASSESSOR ORDINAR.  
ACAD. CAES. NAT. CVR. ADI. ET BIBL.

V T I L E   E T   J V C V N D V M  
IN MATERIA MEDICA CONNEXVM

CONSIDERANS

LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM PRECATVR EVNDEMQUE

AD

DISPVATIONEM INAVGVRALEM

DE

RADICE CHINAE

EIVSQUE


LIMITANDIS LAVDIBVS

OFFICIOSE ET DECENTER INVITAT.

---

ERFORDIAE,

Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.



Q. D. E. V.

**D**isciplinæ, quas animus noster scrutatur & excolit, eo collineant omnes, ut *jucundum* & *utile* reperiatur & promoveatur. Alios si spesces homines, adstricti sumus bonum augere publicum, atque pro viribus aliquid ad communem adferre utilitatem; natura voluit, ut, quid laboris ex communi parando commodo suscipiamus, jucundo percepto, & dulcedine illa, quæ stimulos addit, compensetur. Inter cunctas vero, in quas incumbimus, eminet Physica, quæ, quicquid natura progenitum fuit, sibi sumit contemplandum, naturamque operantem atque formantem etiam invitam multis protrahit artibus, idque nullum alium in finem, quam ut utile & jucundum inde capiatur. Pauculis modo, quantum angustia pagellæ & festinatio permittit, hæc attingam. Ad interiora globi terraquei penetrat, atque essentiam terrarum, salium, mineralium, metallorum, aliorumque huc pertinentium corporum considerat; insimulque varia ex iisdem ut & vasa atque instrumenta parare docet. Quadrupedum, avium, piscium, insectorum, omniumque viventium, tam externam figuram, quam interiorum viscerum structuram, quantum ea hactenus investigare licuit, explicat, & ad quos usus atque effe-

effectus edendos singula facta sint. Sationem, planta-  
tionem, progerminationem, florum tandem caracte-  
res, fructusque contemplatur; multisque licet subin-  
de impeditioribus experimentis factis, perspicit, quod  
non omnis ferat omniatellus, quale solum ad hoc ve-  
getabile proferendum requiratur, qualem terræ con-  
ditionem alia planta desideret. Ut unum asseram,  
quot jugera agri effœti, macri, sterilis, sabulati uberri-  
mas nunc proferunt fruges. Quantum sibi univer-  
sum genus humanum utilitatis ab illorum promittit  
virorum tentaminibus, qui in Italia eo sine societa-  
tem inierunt, ut culturam agrorum majori cum emo-  
lumento perendam investigent. Sed propius ad ea,  
quæ de vegetabilibus dicturus sum, accedam. Ex ve-  
tusto proverbio, ubi desinit Physicus, incipit Medicus,  
eaque, quæ ad medicam materiam referuntur, accura-  
tius perlustrat. Quam amplius hic patet campus, ut  
homo homini profuit, sibi que animum incredibili dul-  
cedine satiet. Multa in officinas pharmaceuticas quot-  
annis deferuntur ad usus medicos asseruanda; vix ul-  
lum nominabis inter vegetabilia sic dicta officinalia u-  
na tantum virtute præditum, sed de singulis tam varii  
effectus prædicantur, ut hæsites, omnibus, an nulli fidem  
tribuas. Quum vero mediantibus notis characteristi-  
cis radices, ligna, cortices, semina, fructus, aliasque  
vegetabilium partes tam cognosces, quam notas boni-  
tatis demonstrabis, & certissimum a summo creatore  
ipsis concessum usum futurum promittere potes, ma-  
ximum inde redundat cum jucundissima animi perce-  
ptione in universum genus humanum commodum,  
qua clarissimi Viri adeo tenentur, ut per omne tem-

pus vitæ ejusmodi rebus insudent. Idem fructus ex collectione vegetabilium hauriuntur. At multa ex remotissimis ad nos deportantur terris, quæ in officinis pharmaceuticis usui reconduntur, de quorum figura & classe multum disceptatur, & in dubio relinquitur, incerta adhuc experientia, num effectus optatus inde sperandus. Sed cum vegetabilia, eorumque efficacia Indis, ceterisque a nobis diffisis populis multo, longoque usu innotuerint, iique & sanitatis conservandæ, restituendæque studiosi, simulque simplicibus plurimum utantur; non potuit non, quin Europæis cum illis versantibus tentamina ejusmodi centies quid? quod millies repetita persuaferint, eadem vegetabilia attentissime intueri, & ad nos devehenda curare. Maxima profecto gratia & agenda & habenda mercatoribus, qui, simul ex ejusmodi merce sibi lucrum facere fuerint arbitrati, omnem impenderunt curam, ut in nostras deferatur regiones, ut ipsa eadem sit, quæ desideratur, ut justum maturitatis tempus, ut rite adaptata, neque nimis recens humiditate mucoris, neque nimis exsiccata partibus efficacibus volatilibus. Missionariis hac in re plurimum debere nos, nemo negabit. Qui commentarios eorum evolvit, justaque circumspeditione perlegit, utile & jucundum satis superque deprehendisse, sum persuasus. Optandum esset, ut tanta diligentia & tam improbo labore indigenæ plantæ colligerentur, quanta industria rhabarbarum orientale, radix chinæ, lignum sanctum, saffras, cortex cinamomi, culilawan, simaruba, cariophylli aromatici, aliæque exotica ab inculta mente, indomitisque moribus præditis hominibus, sollicitoque studio ad usus medicos pro-

procurantur, & jucundum & utile, quod jam quæstum, victumque appellabo, abundantius proveniret. Jucundus est collectionis ejusmodi officinalium labor, quia effluvia sanitati admodum proficua simul inspirantur; utilitas autem emergit ex promerita mercede ad vitæ sustentationem impendenda. Quæras ex aromataris, ceterisque, qui has merces nostris terris importandas curant, mercaturamque exercent, quam lucrosam æque ac suave sit, ejusmodi tractare. Longe compendiosiori via utrumque posset comparari. Nam Germania nostra fertilissima tot genera vegetabilium profert ad usus medicos atque œconomicos, sed pauci notitiam horum sibi acquirere; pauciores notas atque usitatas radices effodere, herbas colligere, & tali labore victum quærere; paucissimi student cognitæ specificas virtutes reiteratis experimentis albo atque majori certitudinis calculo notare. Testes appello omnes, qui in pharmacopoliis vegetabilia usu medico reservanda cœmunt, quanta negligentia, socordia, immunditie fuerint collecta ab iis, qui alimenta inde petunt. Mercatura magis floreret, si de vegetabilibus sponte atque copiose provenientius prædicti usus institutis observationibus crebrioribus confirmarentur. Unum alterumque, quod mihi jam succurrit in medium proferam, unde perspicuum, utile cum jucundo mistum ex cognitione penitioris vegetabilium quam facillime capi posse. Coni, quibus vasa vinaria obturanda, si ex ligno frangulæ detormentur, nullum humorem transmittunt, quem fundunt guttatim omnia fere alia ligna per suas tracheas, exiguos tubulos aut poros. Maximo opere fui delectatus, cum viderem ex ligni quærnei cortice imbre continuo macerato fungos

foliaceos, molles, nigerrimos una nocte subito natos, quos primo aut altero die collectos & in umbra exsiccatos utilissime hæmorrhagiis vulnereum cohibendis applicui. Sed finem facere me oportet.

Præfari hæc voluimus, invitaturi ad Disputationem Inauguralem

DE

## RADICE CHINAE

EIVSQVE

LIMITANDIS LAVDIBVS

NOBILISSIMI ET CLARISSIMI

JOANNIS FRIDERICI ERMELII,

medicæ artis Candidati dignissimi, cujus vitæ curriculum paucis communicabimus verbis:

Ego JOANNES FRIDERICVS ERMELIVS in lucem editus sum Dresenæ, circuli Misnici urbe illustri die XVIII. Januarii Anno MDCC XXIX. Patrem veneror D. JOANNEM FRIDERICVM ERMELIVM Medicinæ Practicum in patria, & Medicum aulicum Regis Poloniae & Electoris Saxoniae; Matrem vero JOHANNAM CHRISTIANAM, beati CHRISTIANI WABSTII, Secretarii dum viveret, filiam unicam, quæ vero me adhuc puero A. MDCC XXXVI. die 10. Decembris mature decessit, cujus locum Anno MDCC XXXVII. die 5. Nov. occupavit CATHARINA SOPHIA, BENJAMINI THENII ærarii camerarii Regis Poloniae & Electoris Saxoniae numerarii primarii, filia natu minor. Opera singulari curarunt optimi parentes, ut ea, quæ capere potest prima



prima ætas, inter privatos parietes addiscerem, utque ea, quæ ad sacræ religionis fundamenta & bonos mores pertinent, a præceptoribus domesticis, in primis a M. VHLICHIO, M. BERGENIO & M. NAGELIO, mihi traderentur. Anno ætatis octavo parentis jussu Grimmam adii, avo adhuc vivente, M. GEORGIO ERMELIO Rectore Gymnasil illustris emerito, ubi sub inspectione Prænobilissimi, Amplissimi atque Doctissimi CAROLI CHRISTOPHORI WENDII, Præfecti scholæ illustris dignissimi, & sub cura uxoris ejus, amitæ meæ charissimæ fui per V. annorum spatia, cujus tot, tantaque in me extant benignitatis & insignis favoris monumenta, quæ non dicam complecti, sed ne percensere quidem numerando possim.


Anno M DCC XLII. die 15. Februar. receptus sum in Gymnasium regio-electorale Grimmense, ubi per VI. annos fidelissimos Præceptores magna cum cura frequentavi, inter quos potissimum SCHUMACHERI, Rectoris, PARSKII, Con-Rectoris, VISCHII, Tertii, OPITII, Cantoris, & HAVPTII pie jam defuncti Mathematici candorem & industriam grata mente publice deprædico. Annis VI. elapsis in Academiam Lipsiensem, tanquam artium & scientiarum mercaturam A. M DCC XLVIII. die 3. Maji me contuli, ubi, quod ad excolenda philosophica & physica, tum theoretica, cum practica pertinet, exercere licuit, undelectionibus philosophicis & physicis D. WINCKLERI interfui. In Anatomicis demonstrationibus GVNTIVM, Archiatrum jam & consiliarium regium; in physiologicis, pathologicis, materia medica, botanicis, therapeuticis, examinatoriis & disputatoriis LYDWIGIVM, in chymicis RÜDIGERVUM, in therapia gene-

generali ac doctrinis practicis HEBENETREITIVM  
Decanum Facultatis Medicæ spectatissimum audiui.  
Quadriennio peracto positisque studii medici funda-  
mentis firmiter statim animum arti obstetriciæ dedi dicavi,  
atque hunc in scopum Anno MDCCCLII. nundinis Li-  
psiensibus vernalibus fere finitis Argentoratum me  
contuli, ubi studiis artis obstetriciæ D. FRIDII, viri erudi-  
tione & experientia solida exercitatissimi per annum na-  
vavi operam. Ibidem in simul sub manu ductione  
D. DOMAIRCK nosocomia publica frequentavi ma-  
gna cum attentione. Exantatis laboribus obstetriciis,  
præceptisque egregiis munitus me Erfordiam contu-  
li, & consuetis gratiosi ordinis Medici examinibus me  
subjicio: ut auctoritate atque consensu dictæ Faculta-  
tis in doctoralem dignitatem cum omnibus privilegiis  
& immunitatibus promoveri queam.

Cum itaque prævia petitione modesta admissus, suf-  
ficientes in arte profectus satis in examinibus consuetis  
probasset, cathedram publicam ascendere, suamque Dis-  
sertationem ad D. XXIII. Novembris sub Præsidio Ma-  
gnifici Domini Juchii, venerandi Facultatis Senioris de-  
fendere ipsi concessum fuit. Huic actui solenni ut  
Magnificus Academiae Rector, Proceres Academiae co-  
lendissimi, Artisque salutaris fautores omnium ordi-  
num honoratissimi præsentiam suam commodare di-  
gnentur, per officiosè & amanter oro. Publ. Erfurti  
MDCCCLIII. d. XVIII. Novembr.

(L.S.)









00 A 6419

ULB Halle 3  
004 103 424



f

5b.

29. Sten Handschrift









24  
FACULTATIS MEDICAE  
IN PERANTIQUA VNIVERSITATE HIERANA  
DECANVS  
JO. HIERONYMVS  
KNIPHOF

ANATOM. CHIRVRG. ET BOTAN. PROFESS. PVBL.  
FACULTATIS MEDICAE ASSESSOR ORDINAR.  
ACAD. CAES. NAT. CVR. ADI. ET BIBL.

VTILE ET IVCVNDVM  
IN MATERIA MEDICA CONNEXVM

CONSIDERANS  
LECTORI BENEVOLO  
SALVTEM PREGATVR EVNDEMQVE

AD  
DISPVATIONEM INAVGVRALEM

DE  
RADICE CHINAE

EIVSQVE  
LIMITANDIS LAVDIBVS  
OFFICIOSE ET DECENTER INVITAT.

---

ERFORDIAE,  
Stanno HERINGIANO ACAD. TYPOGR.